

IN LOCO
DE CREATIONE
THEOREMATA.

1. **H**omonymia vocis est quod significet (1.) productionem ex nihilo, *Gen. 1, 1. 2, 3.* (2.) Productionem ex inhabili materia *Gen. 1, v. 26, 27. c. 2. v. 7.* (3.) Opus quodvis præclarum & stupendum, *Esai. 41, 20. Psal. 51, 12. Eph. 2, 14.*

2. Synonymia est, quod alias dicatur facere, formare, *Gen. 2, 2.* Vide Chemnitium parte 1. L. Theolog. Loc. 4.

3. Verbum FACERE, etiam accommodatur illis, quæ fabricantur ex materia, *Gen. 6, 14. Num. 10, 2.* Restrigitur autem ex circumstantia textus ad proprietatem creationis, *Pf. 33, 9.* hinc κτίσις & ποιήματα sunt, *Rom. 1, 20.* quorum κτίσις dicitur respectu habito ad illa, quorum nihilo præexistente, subito, Deo jubente, res ortæ sunt & extiterunt. ποιήματα respicit ordinem & coagmentationem, administrationem, & conservationem.

4. Hebræis creare est à non esse ad esse producere. *Formare*, enti creato figuram inducere: Facere, absolvere, & ad certum usum aptare, FORMARE est יצא sicut creare ברא, facere עשה, aliter est כנן præparare, disponere, *Prov. 8, 27. Job. 31, 15.* היה esse, existere *Gen. 1, 3. Psal. 33, 9. γενεσθαι Job. 1, 3. ειναι Sap. 1, 14. ισταναι Psal. 148, 4. 2 Pet. 3, 5. Coloss. 1, 17.* עוץ ornare *Job. 26, 13.* unde κόσμος dicitur Mundus, cui nomen ab ornatu, יטו extendere, expandere *Jesai. 42, 5. Psal. 136, 6.* Hinc expansio cælorum est *Genes. 1.* Vide, quæ notavimus in Theologia Exegetica, vel nostris Notis Biblicis ad illum locum.

5. Creatio est actio unius ac solius Dei propria, ac trium personarum indivisa, quæ Pater, unà cum Filio & Spiritu Sancto, ex nihilo, ob bonitatem suam, in nominis sui gloriam & hominum salutem, ordine omnes res visibiles & invisibiles, sex dierum spacio condidit.

6. Generis locum explet Actio, quæ suis causis illustratur.

7. Efficiens creationis est unus & solus verus DEUS, ut Scriptura testatur *Gen. 1, 1. Psal. 134, 3.*

8. Est autem ille unus verus Deus, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, ideò creationis opus singulis tribus personis competit: specie-